

193. *Observantia practica, ad quem hodie oblationes pertineant?* — Infertur proin, quod oblationes, quæ sub primitiis fiunt, vi universalis consuetudinis, atque intentionis dantium ad neomistam pertineant, parochi penitus nihil juris in eas habente, uti bene observat Fagnanus, in c. *Pastoralis. 9. de His, quæ fiunt a prælat.* Infertur secundo, quod oblationes, quæ fiunt in sacellis, oratoriis, aut aliis locis, in vel extra Ecclesias, ubi imagines miraculosæ depictæ vel sculptæ existunt, non ad parochum, sed ad Ecclesiam ipsam, vel sacellum pro fabrica, vel ornatu Ecclesiæ, vel imaginis, vel pro construenda in honorem imaginis majori et splendidiore Ecclesia, etc. spectent; quia consuetudo pene universalis dicto fine, et non parochi similes oblationes attribuit, illucque intentio dantium, et non utilitatem parochi respiciat, uti bene notat cardinal. de Luca, de *Decimis*, discours. 19. num. 11. Ex eadem ratione infertur tertio, quod oblationes, quæ fiunt in truncis, mensis, capsulis, etc., pro capiendis oblationibus in vel extra Ecclesiam positis, non ad parochum, sed ad Ecclesiam ipsam, vel alium certum finem (casu quo pro illo specialiter capsula v. g. exponitur) pertineant, utpote pro quo, et non pro parochi consuetudo et intentio offerentium stat: ut proin hodie pene solæ oblationes, quæ in Ecclesia sub Missis ad altare fiunt, et quæ pro administratione sacramentorum, pro benedicendis nuptiis, aut mulieribus post partum, pro exequiis et sepulturis aut aliis similibus functionibus specialiter offeruntur, ad parochum spectent, consuetudine reliquas ferme omnes Ecclesiis ipsis, aut sacellis, aut aliis certis finibus applicent; ut cum aliis bene notat Van Espen, in *Jure eccles. uni.* p. II. tit. XXXIII. c. x.

194. *Parochi omnium oblationum etiam ad æ non pertinentium administrationem habent. Laici ex consuetudine oblationes administrare, non tamen sibi applicare possunt.* — Notandum tamen, quod etsi ex consuetudine, aut intentione offerentium oblationes non ad parochum, sed ad Ecclesiam, vel alium finem

pertineant, parochus tamen earum administrationem habeat, non quidem, ut eas sibi appropriet, sed ut ad debitum finem juxta consuetudinem loci, aut intentionem dantium applicet. Fagnanus, loc. cit. num. 30; Abbas, in c. *Pastoralis. 9. de His, quæ fiunt a prælat.* n. 2; Van Espen, loc. cit. n. 24, et alii; nisi et circa hanc administrationem aliud habeat loci consuetudo; prout in pluribus locis videmus, ubi etiam laici vel soli vel una cum parochi oblationes administrant; quod omnino licite fieri posse, pro indubitato asserit Van Espen, loc. cit. pluribusque demonstrat cardinal. de Luca, Fagnanus, loc. cit. n. 30. et alii; eo præcipue fundamento; quia talis administratio non est alius juris spiritualis, sed rei mere temporalis, prout consideranti patet: ut proin sicut laicus tales oblationes, ac reliquam Ecclesiæ suppellectilem custodire, ita eandem administrare, ac pro debito usu applicare potest, ubi id habet consuetudo; quamvis nulla consuetudine introduci queat, ut laici oblationes ipsimet pro se ipsis recipiant, eo quod jus percipiendi oblationes sit spirituale, cujus laici incapaces sunt. Abbas, loc. cit. n. 2; Pirhing, h. t. in fine; Fagnanus, loc. cit. n. 19, et seqq. textu expresso can. *Hanc consuetudinem.* 15, et can. *Quia sacerdotes.* 13, cau. 10. q. 1. et c. *Dudum.* 31. h. t.

195. *Oblationes in Ecclesiis regularium factæ, ad religiosos monasterii pertinent.* — Quæritur IV. Ad quem pertineant oblationes, quæ fiunt in Ecclesiis regularium. Resp. Eas pertinere ad monasterium pro religiosis ibi servantibus; Fagnanus, loc. cit. n. 34; Abbas, in c. I. *de Statu monach.*; Pasqual., in *Addit. ad Lauret. de Franch.* p. II. q. 69; Engel, h. t. n. 69, arg. cit. cap. I. *de Statu monach.* ibi: « Cum monachis ibi servantibus debeat proficere; quidquid a fidelibus offerri contigerit. » Ratio est, quia licet religiosi sint intra limites parochiæ, non tamen sunt de parochia, nec divina a parochi accipiunt, et ideo oblationes inibi factæ ad parochum non pertinent.

## ADNOTATIONES

IN TOMUM QUARTUM ANACLETI REIFFENSTUEL

### ADNOTATIO I.

*Lib. III. Decretal. Tit. VI. De Clerico ægrotante vel debilitato, § II, n. 58, pag. 13.*

DE MODO SUBVENIENDI PAROCHO INFIRMO ET EJUS COADJUTORI.

« In capite *De rectoribus*, hoc titulo, præcipit Pontifex assignandam esse congruam portionem de redditibus Ecclesiæ parochialis coadjutori, qui dandus est parochi lepræ infecto, ut ipsius vice curam animarum gerat. Cumque nihil statuatur quantum hæc portio esse debeat, taxanda est arbitrio episcopi eo pari modo quo conc. Trident. cap. XVIII, sess. XXIV, *de Reform.* declaravit de vicario deputando in parochiali Ecclesia vacante, donec novus rector instituat.

« Qui sane coadjutor cum eadem congrua, ex decreto ejusdem Trident. cap. VI, sess. XXI, *de Reform.* nedum dandus est parochi leproso, sed etiam illiterato et imperito.

« An autem hujusmodi portio referenda sit ad solam ipsius coadjutoris sustentationem quotam vel qualitatem, aut ad annum Ecclesiæ valorem seu redditum, Fagnanus in hoc eod. cap. n. 10 refert S. Congregationem declarasse ad hæc omnia esse referendam.

« Quod si quæras an prius providendum sit coadjutori vel parochi ægrotanti, quando redditus Ecclesiæ non sufficiunt ad honestam utriusque vitæ sustentationem, sentio præferendum esse parochum. « Alioquin, ut optime animadvertit idem » Fagnanus, loco cit. n. 12, si ægroto subtraherentur stipendia, hoc exemplo deterriti, non invenirentur qui vellent Ecclesiæ militare, ut legitur cap. I. *Cum percussio*, hoc eod. tit. et ita ex hoc videretur perturbari status ecclesiasticus nedum præsens sed etiam futurus. »

« Imo neque posset comelli ad assignandum congruum stipendium coadjutori ante deducta alimenta ad propriam sustentationem necessaria, ut declaravit etiam congregatio conc. in *Albiganens.*

*parochialium*, 1 sept. 1663, libr. Decretal. XXV pag. 594.

« In hoc igitur casu erit cura episcopi parochianos cogere ad subministranda alimenta coadjutori eo pari modo quo eos cogere debet ex declaratione ejusdem Congr. in *Novarien.* et *Cremonen.* lib. III Decretal. pag. 35 et 49, quando juxta decretum Trident. cap. IV, sess. XXI *de Reform.* ob numerositatem populi dandus est parochi coadjutor, si per se solum non sufficiat animarum curam exercere; vel quando erigenda est nova parochia, ne propter locorum distantiam parochiani cogantur cum magno incommodo accedere ad Ecclesiam parochialem pro sacramentorum receptione. » (Givaldus, *Expositio juris pontificii juxta recentiorum Ecclesiæ disciplinam*, part. I. sect. 411).

### ADNOTATIO II.

*Lib. III Decretal. Tit. VI, § II, n. 63, pag. 14.*

DE CANONICORUM COADJUTORIBUS.

Non tantum episcopis aut aliis prælatis, et parochiarum rectoribus, aliquando dantur coadjutores, sed etiam canonicis. Cum de istis plane sileat auctor noster, ex cap. XIX. operis Barbosa, *De canonicis et dignitatibus*, illa quæ sequuntur depromere opportunum ducimus:

« Quamvis conc. Trident. sess. XXV, *de Reform.* cap. VII. statuerit ut nemini in quibuscumque beneficiis ecclesiasticis permitterentur perpetuæ et irrevocabiles coadjutoriae cum futura successione, et juxta illius dispositionem fuerit sic inviolabiliter observatum usque ad tempus Sixti V, tamen ab eo usque ad hæc tempora concessæ fuerunt et conceduntur in dignitatibus, canonicatibus et portionibus cathedralium et collegiarum ecclesiarum a solo scilicet Papa et non ab alio, quamvis sit legatus seu nuntius...

« Coadjutoria in prædictis casibus conceditur propter infirmitatem, vel propter senectutem; nam si dicta sit propter ingravescentem ætatem, verificanda est in ætate sexaginta annorum, et,

quando datur propter senium tantum, debet probari ætas septuaginta annorum... Si vero concessa sit coadjutoria propter ingravescentem ætatem junctis infirmitatibus, verificatur in anno quinquagesimo quinto...

» Licet coadjutoria et futura successio sint gratiæ diversæ et separata... tamen sunt subordinatæ, cum futura successio absque coadjutoria non detur per Papam propter expectativas prohibitas a conc. Trid. sess. XXV. *de Reform.* cap. VII.

» Coadjutoris potestas, cum a forma dationis coadjutoriæ pendeat et capiatur, ante omnia est inspicendus tenor litterarum. Ideo videndum qualiter his temporibus coadjutor deputari soleat, ut exinde colligamus quæ sint ejus auctoritas et officium ac obligatio. Per hujusmodi igitur coadjutoriam nunc constituitur quis et deputatur alteri in coadjutorem perpetuum et irrevocabilem in regimine et administratione dignitatis seu canonicatus et præbendæ, quos ille obtinet in spiritualibus et temporalibus cum plena, libera et omnimoda facultate, auctoritate et potestate omnia et singula quæ ad hujusmodi coadjutoris officium de jure vel consuetudine, aut alias quomodolibet, spectant et pertinent faciendi, gerendi, exercendi et procurandi; ita quod, durante coadjutoris officio, hujusmodi talis coadjutor, coadjuto absente, vice et loco illius, eidem Ecclesiæ ut canonicus seu dignitas deservire, stallumque in choro, et locum ac vocem in capitulo, processionibus et aliis actibus ejusdem Ecclesiæ habere, necnon omnes et singulas prærogativas, præminentias et honores, quos principalis ratione canonicatus, aut præbendæ, seu dignitatis habet, et si præsens adesset, haberet, atque omnia et singula fructus, redditus, proventus, jura, obventiones, distributiones quotidianas et alia emolumenta quæcumque, etiam anniversaria, manualia et alia quomodolibet nuncupata, in quibusvis rebus consistentia, quæ per ipsum principalem, si divinis officiis tam divinis quam nocturnis in eadem Ecclesia interesset, lucriferi et percipi possint in omnibus et per omnia, absque ulla prorsus differentia pro eo lucrari et percipere libere et licite valeat. Solet tamen apponi clausula quod non possit, neque debeat coadjutor, nisi de ipsius principalis consensu et voluntate, in dicto regimine et administratione quovis modo se intromittere aut immiscere, neque prætextu coadjutoriæ, quovis titulo seu causa, quidquam petere seu exigere. Et deinde dicitur quod cum primum tale beneficium per cessum vel decessum, seu quamvis aliam dimissionem vel amissionem coadjuti, vel alio quovis modo vacare contigerit, et sic eodem coadjutoris officio cessante, conferatur et assignetur eidem N. et in corporalem possessionem illius et annexorum, juriurum et pertinentiarum, auctoritate apostolica inducatur et defendatur.

» Ut autem excludatur votum captandæ mortis, super qua est fundata reprobatio expectativarum, cap. 2. *De concess. præbend.* in 6. exigitur consen-

sus et requisitio coadjuti per quem *consensum* amaritudo ista excluditur, Rota etc... et hæc est ratio cur in coadjutoris hujusmodi habeat locum reg. 44. *De præstandis consens.* ut advertit Gonzal. Glos. V, § 9. n. 10, ubi n. 48 cum seqq. subdit exigi etiam litteras commendatitias aut episcopi aut capituli super qualitatibus coadjutoris et indigentia Ecclesiæ. Unde consequitur quod si mortuo coadjuto, opponat se provisorius ex ea vacatione ab ordinario, teneatur ipse coadjutor justificare causam coadjutoriam in litteris expressam. Neque aliter intret reservatio vel affectio ad ejus favorem, cuius rei ea est ratio quia Papa movetur solo intuitu Ecclesiæ, propter necessitatem vel evidentem ejus utilitatem, non autem intuitu alicujus personæ, quia, causa non subsistente, intrat defectus mentis, cessatque omnis affectio ex Lotter. lib. II, q. 23, n. 33. Cum ergo utraque gratia æque principalis, coadjutoriam scilicet et futuram successionem, pendeat a causis narratis Papæ, ideo si de tempore datæ mortuus jam sit coadjutus, sicut gratia coadjutoriam, quæ ipsius favorem respicit fitque ad ejus preces, ipso jure nulla est, L. *Neritius ff. de Reg. juris*; ita nulla quoque est gratia provisoriva illi subordinata et ab ea dependens, ut resolvunt Garcias etc. Clausula enim « etiamsi nunc actu vacet » refertur potius ad omnes alios modos vacandi quam ad hunc per obitum, ne videatur contradicere expressioni quod coadjutor vivat et supplicet; Achil. decis. I. *de Præbendis*.

» Coadjutores igitur cum futura successione, viventibus coadjutis, possessionem beneficiorum non habent ex propria persona, cum illam habeant coadjuti, et duo in solidum eandem rem eodem respectu possidere non valeant... unde si præmori coadjutorem contingat, beneficium non remanet affectum quominus ordinarius illud provideat... quia coadjutoriam hujusmodi non sunt vere et proprie beneficia... nam Papa coadjutoriam concedendo non providet de beneficio, illud absolute conferendo, sed ad effectum providendi necessitati Ecclesiæ, Burat. decis. 78.

» Unde coadjutorem canonici cum futura successione vocari canonicum fictum tradunt Gonzalez et alii. Hinc provenit quod coadjutor consequi non potest fructus ex beneficio coadjuti, sed lucratur etiam distributiones quotidianas, absente coadjuto, ad utilitatem coadjuti, ut censuit S. Rituum Congregatio in una *Colimbrien.* 16 sept. 1606. dub. 6, et in alia *Elboren.* 15 aprilis 1606. Et ideo, quando coadjutor habet aliunde unde se valeat decenter sustentare, disponitur nonnunquam quod nihil prorsus percipere debeat de fructibus, nec de distributionibus. Et interdum mandatur dari centum ducatos, et aliquando plus vel minus prout partes inter se conveniunt ante porrectam supplicationem, habita semper consideratione ne coadjutor egeat, refert Gonzal. dict. Glos. V, § IX n. 96; quia alias coadjutor posset petere a coadjuto congruam sustentationem, si deserviat uti coadjutor, Navarrus et

alii; nisi aliud caveatur in coadjutoria hujusmodi, in qua hodie consuetum est poni clausula qua patet ita conveniri quod coadjutor non possit petere congruam, nec quicquam exigere quovis titulo ratione coadjutoriam, ut ipse testatur Garcias, subdens id procedere, etiamsi non narretur coadjutorem habere beneficium, seu unde se valeat sustentare, quamvis, si coadjutor ob paupertatem magnam non valeat decenter servire Ecclesiæ, posset excusari a servitio, nec principalis possit illum arctare seu compellere, nisi dando ei aliquid quo decenter et honeste valeat deservire...

» Nec tenetur ad fidei professionem, nisi cum fuerit successioni locus... nec lucratur distributiones excommunicato coadjuto. Si forte coadjutori aliquid de fructibus seu distributionibus assignatum sit pro congrua seu servitio, ut aliquando fit, id sibi poterit lucrari, non obstante excommunicatione principalis quæ sibi non alteri debet nocere...

» Nec ei assignatur eadem sedes principalis coadjuti, sed sedere debet ultimo loco post omnes canonicos, pro ut decisum referunt Gonzalez et alii. Verum ubi coadjutor in dignitate esset, absente vel impedito coadjuto suo, præcedit omnibus canonicis, S. Congreg. Tit. in *Neriton.* 22 octobris 1619, idemque prorsus stallum quod coadjutus, si præsens esset, obtineret, habere debet et exercere functiones quas obtinet coadjutus si adesset...

» Et potest gaudere mensibus datis causa recreationis et illos consumere sicut principalis, ita tamen quod dies per unum ipsorum consumpti non possint per alteram assumi, ita Gonzalez et alii.

» Et ægroans, aut alias legitime impeditus, haberi debet pro præsentem, et lucratur distributiones quotidianas, sicut lucraretur principalis, quando ipse coadjutus erat actu serviens, tempore superventis infirmitatis seu impedimenti...

» Extra Ecclesiam cathedralem in absentia coadjuti tanquam verus et proprius canonicus censendus est, quoad præminentias veris canonicis convenientes, ut censuit S. Rit. Congreg. in *Pistorien.* 15 mart. 1608.

» Et tenetur facere mentionem de obtentis beneficiis quæ habet, saltem ratione futuræ successionis quæ ipsi conceditur, cum sit gratia beneficiæ seu de beneficio, Nicol. Garc. *de Beneficiis*, part. IV, cap. v, in addit. dub. 38, ubi addit totam gratiam vitari et esse nullam si non fiat mentio de obtentis coadjutoris; quia, licet illa de se sit dividua et separabilis, tamen ex intentione Papæ et ipsius coadjutoris est individua.

» Et residere tenetur in Ecclesia in qua datus est pro coadjutore, ita ut non residendo beneficio privari possit, ita late Rota, decis. 392 per tot. part. I. recentissim. in posthumis.

» Et quamvis non sit in sacris constitutus, potest omnia et singula facere et exercere quæ sine paramentis sacris cum cappa et cotta facere posset coadjutus, si præsens esset, S. Ri Cong. in *Bo-*

*nonien.* 10 decemb. 1615. Et ei tenentur canonici inservire et ministrare, prout tenerentur inservire proprio canonico coadjuto in omnibus functionibus canonicalibus, ead. S. Congr. in *Casalen.* 10 januar. 1609.

» Utrum autem coadjutor seu coadjuto debent exire de capitulo, in quo agitur de negotio ipsius coadjuti, solet ab aliquibus in dubium revocari, in quo videtur respondendum non debere exire; quia coadjutor non agit, nec inservit nomine coadjuti, licet eum representet quatenus agit et inservit loco et vice illius, sed agit et inservit nomine proprio, seu nomine Ecclesiæ, et sic nihil impedit eum interesse et dare vocem in capitulo in quo tractatur de negotio coadjuti. Unde videtur quod posset coadjutor dare suffragium seu votare in electione præbendæ quam prætenderet coadjutus, et esse oppositum et etiam pro eo suffragium dare. Rursus e converso coadjutus bene potest interesse in capitulo et dare vocem seu votum ubi agitur de negotio coadjutoris, nisi forte tractetur de re spectante ad ipsam coadjutoriam quæ particulariter etiam spectet ad ipsum coadjutum, ita Nicol. Garc. dict. part. IV, cap. v, ex n. 103, Sebast. Cas. *De Eccl. hierarch.* disput. XIV, § 9, n. 12, ubi, n. 13, existimat non esse inconveniens quod simul possint in habitu canonicali interesse coadjutus et coadjutor in processionibus et missarum solemnibus, principalis in loco sibi debito juxta antiquitatem suam, coadjutor post omnes canonicos, quidquid dicat Nicol. Garc. dict. cap. ex n. 107, cujus fundamentum quod unum tantum canonicatum representant. Solum concludit ne duplicem vocem habeant, vel duplices luerentur distributiones quoad interessentiam, quæ diversis respectibus utrique convenit, uni tanquam vero canonico, alteri tanquam coadjutori, sicut nihil inconvenit quod in eadem ecclesia rector principalis ut talis, et vicarius ut vicarius interesse valeant, et usu receptum videmus in episcopo et ejus vicario generali.

Hæc, ut jam diximus, ex Barbose opere citato, ubi studiosi alia quamplura de canonicorum coadjutoribus invenient; necnon apud Zamboni, *Collect. Declarat. Sacræ Congr. Concilii*, Atrebatii, Rousseau-Leroy, 1860; t. I, verbo *Canonicus*, § 1.

## ADNOTATIO III.

*Lib. III. Decretal. Tit. VII, De Institutionibus, § I, n. 21, pag. 18.*

NECESSITAS EXAMINANDI CLERICOS ANTEQUAM AD BENEFICIA INSTITUANTUR EXEMPLE DECLARATUR.

In archivio Ecclesiæ cathedralis Lucionensis in Gallia, dum anno 1859 sacris quadagesimæ concionibus dabamus operam, actum deprehendimus quo denegatur, prævio examine, institutio canonica cuidam clerico de decanatu Sancti Mauriti de Monte-acuto auctoritate apostolica proviso. Illud

specimen disciplinæ olim apud nos usu receptæ libenter perlegent eruditi.

« Nicolas Colbert, par la permission divine et par la grâce du Saint-Siège apostolique euesque de Luçon, conseiller du roy en tous ses conseils; sçavoir faisons que ce jourd'huy, douziesme janvier mil six cent soixante-huit, a comparu par deuant Nous M<sup>e</sup> François Chesneau, clerc du diocèse de Poitiers, lequel nous auroit présenté une bulle en plomb de Nostre Saint Père le Pape en date du 6<sup>e</sup> des Calendes de juillet, par laquelle ledit Chesneau nous est renuoyé pour estre par nous examiné et pourueu du doyenné de l'église collégiale de Saint-Maurice de Montaigu de nostre diocèse, si nous l'en jugions capable par l'examen que nous en ferions, vacant ledit doyenné par l'indue détention et incapacité de M<sup>e</sup> François Chesneau, prestre du diocèse de Nantes; et comme nous n'avons aucune connoissance des vie et mœurs du susdit M<sup>e</sup> François Chesneau du diocèse de Poitiers, Nous luy aurions demandé une attestation de M<sup>r</sup> l'illustr. et R<sup>m</sup>e euesque de Poitiers ou de ses grands vicaires, laquelle il n'auroit pu nous faire veoir et nous auroit déclaré n'en auoir point. Après quoy, pour nous assurer au moins de sa capacité, Nous l'aurions examiné assisté de vénérables Maistres Anthoine Froment docteur de Sorbonne, doyen de nostre église cathédrale et nostre vicaire général, et Anthoine Vincent, docteur de Sorbonne, archidiaque de Paréds; ainsy qu'il s'en suit.

» Interrogé s'il a leu l'Escriture Sainte. — A répondu qu'il ne l'a point leue.

» Interrogé s'il ne sçait point comment elle se divise. — A répondu qu'il ne le sçait point.

» Interrogé s'il sçait combien il y a d'euangiles. — A répondu qu'il n'y en a qu'un.

» Interrogé s'il n'y a pas l'euangile de saint Mathieu, de saint Marc, de saint Luc et de saint Jean. — A répondu que ouy: mais que ces quatre euangiles ne font qu'une Escriture.

» Interrogé s'il a étudié en théologie. — A répondu qu'il y a étudié trois ans et qu'il a pris trois traités sçavoir *De Deo uno et trino*, *De justitia et jure*, et *De sacramentis in genere*, dans les années 64, 66 et 67, aux Jésuites de Poitiers.

» Interrogé ce que c'est que l'immensité de Dieu. — A répondu que c'est *esse in omni loco*.

» Interrogé ce qui constitue Dieu *in omni loco*. — A répondu que c'est par son essence et par sa nature.

» Interrogé ce que c'est que l'éternité de Dieu. — A répondu que c'est Dieu même.

» Interrogé quelle est la définition de l'éternité de Dieu en tant qu'elle se distingue des autres attributs. — A répondu que c'est connoistre Dieu tout-puissant.

» Interrogé si la toute puissance de Dieu est un attribut absolu ou relatif. — A répondu qu'il est absolu.

» Interrogé quelle différence il y a entre attribut absolu et relatif. — A répondu que l'attribut absolu est celui qui regarde la divinité, et le relatif celui qui regarde sa connoissance.

» Interrogé ce que c'est que vertu théologalle. — N'a sçeu répondre, et a dit qu'il ne s'en souvient point.

» Interrogé combien il y a de vertus théologalles. — A répondu qu'il y en a cinq.

» Interrogé quelles elles sont. — A répondu la justice, la tempérance, la prudence, la force, et a dit ne se souvenir de la cinquième.

» Interrogé ce que c'est que justice. — A répondu que c'est une vertu que nous possédons en nous.

» Interrogé *quid sit jus?* — A répondu que c'est *possidere aliquid*.

» Interrogé quelle différence il y a entre *jus* et *justitiam*. — A répondu qu'il n'y a point de différence.

» Interrogé *unde oriatur jus?* — A répondu *quod oritur a jure*.

» Interrogé ce que c'est que Sacrement. — A répondu *esse invisibile gratiæ signum conferens per se gratiam ex opere operato*.

» Interrogé *quid sit gratiam conferre ex opere operato?* — A répondu *quod est conferre eo insanti quo confertur sacramentum*.

» Interrogé *utrum sacramenta sint necessaria?* — A répondu *esse necessaria*.

» Interrogé *utrum sacramenta in veteri lege conferrent gratiam ex opere operato, cum tunc essent necessaria?* — A répondu *quod conferebant gratiam ex opere operantis*.

» Interrogé *quot essent sacramenta in veteri lege?* — A répondu *esse tria, scilicet baptismus seu ablutio, matrimonium et penitentia*.

» Interrogé *quomodo conferretur baptismus in veteri testamento?* — A répondu *per impositionem manuum*.

» Interrogé si l'on ne prononçoit point de parole. — A répondu que *proferebantur verba sacramentalia*.

» Interrogé *si baptismus conferretur cum aqua aut sine aqua*. — A répondu *quod conferebatur cum aqua*.

» Interrogé quelle différence il y avoit entre le baptesme de l'ancienne loy et celui de la nouvelle. — A répondu que celui de la nouvelle oste le péché originel et celui de l'ancienne loy ne l'ostoit pas.

» Interrogé qu'est ce qui estoit le péché originel dans l'ancienne loy. — A répondu *preces et vota parentum*.

» Lesquelles interrogations et reponses ledit M<sup>e</sup> François Chesneau auroit signées, veu lesquelles Nous aurions déclaré audit M<sup>e</sup> François Chesneau que Nous ne pouvions sans charger nostre conscience luy accorder nostre provision dudit doyenné de Montaigu; ce que ledit

» M<sup>e</sup> François Chesneau auroit pris pour refus et dont il nous auroit demandé acte, que Nous luy avons accordé pour luy valloir et servir ce que de raison. Fait à Luçon, les jour et an que dessus.

» Signé NICOLAS, ev. de Luçon — VINCENT COGNEL pour secrétaire. »

## ADNOTATIO IV.

*Lib. III. Decret. Tit. VII, § III, n. 66, pag. 27.*

DE CLERICIS EXTRANEIS AUT PLEBEIS NON ARCENTIS.

« Ex decretali *Ad decorem*, hoc titulo, clare infertur quorumcumque nationum clericos, alias literatos et idoneos, admitti posse ac debere ad quascumque ecclesias, et hoc quidem jure communi, ut evitetur acceptio personarum a jure divino reprobata.

» Quid autem in aliquibus diocesisibus variarum nationum circa exterorum institutionem ad ecclesias et beneficia servetur, videnda erunt indulta a Sede apostolica concessa. » (Giraldus, *Exposit. jur. pontif.* part. I, sect. 415.)

Quoad autem clericos nobiles, aut plebeios, hæc scribit Giraldus: « Saluberrima sanctio, cap. *Venerabilis*, 37, de *Præbendis*, qua statuitur non esse repellendos a consecutione præbendarum et canonicatum ignobiles, alias idoneos, cum juri divino sit penitus conformis, abrogari quidem nequit contraria consuetudine. Quia tamen hæc in quibusdam cathedralibus, præsertim Germaniæ a multis sæculis viget, nec ita facile tolli possit, tolerandam esse ait inter cæteros scriptores Joannes Molanus, professor et canonicus Lovaniensis, *De vita et moribus canonicorum*, ad canonicos scribens, lib. II, cap. xxix, ibi: « Toleranda est ista consuetudo ubi » et invaluit, et propter nobilitatis potentiam videtur corrigi non posse. Sed tamen habenda est ratio ut illi demum nobiles ad præbendas admittantur, qui nobilitatem etiam virtute consecuti sunt. Nam si tantum ex generatione majorum progenie nobiles sint, et eruditio ac pietas desint, monstra erunt et pestes in Ecclesia, ac inani et futili titulo nobiles. »

» Non dissimilis huic Molani monito est sensus Fagnani, cum Joanne Monacho, Ancharano et Geminiano, quorum verba refert in cap. 5, *Super specula*, de *magistris*, n. 12, ibi: « Unde Joann. Monach. ib. n. 1. dicit: cum indigentia Ecclesiæ sit subveniendum, ipsa est personis litteratis implenda, non nepotibus, nec asinis ferratis. » Item Ancharanus et Geminianus in 2 not. dicunt: Nota quia Ecclesia de summo indiget viris litteratis, non porci seu asinis ferratis, et ob eorum carentiam dicitur sustinere jacturam, ut in dicto cap. *Cum ex eo*, de *Election.* in 6. » (*Exposit. jur. pontif.* part. I, sect. 378.)

Ex prædictis liquet quam sit alienum a jure et mente Ecclesiæ illud quod invenitur scriptum in

famosis articulis organicis, in Gallia anno 1802 a potestate sæculari publicatis: « Art. 32. Aucun étranger ne pourra être employé dans les fonctions du ministère ecclésiastique, sans la permission du gouvernement. »

## ADNOTATIO V.

*Lib. III. Decretal. Tit. VIII, De concessione præbendæ et ecclesiæ non vacantis, § II, n. 34, pag. 40.*

DE PROMISSIONIBUS CIRCA PRÆBENDAS VACATURAS.

Bonifacius VIII in decretali *Detestanda*, hoc titulo in 6, sic loquitur: « Nos malis hujusmodi et animarum periculis occurrere cupientes, promissiones easdem et alias quascumque, sub quovis modo aut forma verborum, de cætero faciendas, per quas directe vel indirecte aperiri via valeat ad beneficia vacatura, auctoritate apostolica penitus reprobamus et omnino viribus vacuumus, decernentes per eas vel ipsarum aliquam ad providendum alicui nullum deinceps quomodolibet obligari. »

Circa hujusmodi promissiones hoc notat Wagnerek ad cap. 2 *Nulla*, hoc eod. titulo: « Cum vero passim etiam a timoratis, ad quos collatio beneficiorum spectat, ejusmodi promissiones fieri soleant personis bene commendatis aut charis, se cum poterunt gratificatos, eosque voti compotes facturos, et vacante tali vel tali beneficio neminem alium promoturos, dicendum est vel intelligi promissionem quæ acceptata simpliciter obliget; ejusmodi autem modos loquendi quos recensuimus potius consistere in promissione spei quem rei, ut nimirum qui tale quid petit bonam spem habere possit, non autem promissionis certitudinem: vel hos canones in vigore tanto non esse receptos, quod videantur offendi ex illarum Ecclesiarum more quæ canonicos expectantes (canonicatum videlicet aliquem vacaturum) aperte admittunt et calendario inserunt. Posset dari exemplum in ecclesia Constantiensi ubi aliquot clerici nobiles suscipiuntur; sed cum videatur his dari verum jus canonice et expectativæ solum ad præbendam, donec aliquis in mense capitulari moriatur, non apparet veram expectativam intervenire. » Hæc apud Giraldum, *Exposit. jur. pontif.* part. I, sect. 419.

## ADNOTATIO VI.

*Lib. III. Decretal. Tit. IX, Ne sede vacante aliquid innovetur, § II, n. 33, pag. 52.*

DE COLLATIONE BENEFICIORUM, SEDE EPISCOPALI VACANTE.

« Quamvis Honorius III, cap. 2 *Nulla*, hoc titulo, rectissime statuerit vacantium collationem beneficiorum, sede episcopali vacante, pertinentem ad episcopum, non transire ad capitulum sed reservandam esse futuro episcopo, tum quia collatio est